peripatetica Ens incorruptibile) homo, Brutum perfectius, (ſ. habens imaginationem;) imperfectius, (ſeu ſenſum ſolùm qualia de ζωοφύτοις narrant) Planta. Forma communis corporum, (qualis oritur ex commixtione Elementorum, quo pertinent omnia inanima.) Artificalia, (quæ nominat: Inſtrumenta) Hæc ſunt quorum complexu Lullius utitur, de quo judicium, maturum utique, gravis viri Petri Gaſſendi Logicæ ſuæ Exicureæ T. 1. operum capite peculiari. Quare artem Lullii dudum Combinatoriam appellavit Jordan. Brunus Nolanus Scru-
62 tin. præfat. p. m. 684. Atque hinc eſſe judico quòd immortalis Kircherus ſuam illam diu promiſſam artem magnam ſciendi, ſeu novam portam ſcientiarum, qua de omnibus rebus infinitis rationibus diſputari, cunctorumq; ſummaria cognitio haberi poſſit, (quo eodem ferè modo ſuam Syntaxin artis mirabilis inſcripſit Petr. Gregor. Tholoſanus) Combinatoriæ titulo oſtentaverit. Unum hoc opto, ut ingenio vir vaſtisſimo, altius quàm vel Lullius vel Tholoſanus penetret in intima rerum, ac quæ nos præconcepimus, quorum lineamenta duximus, quæ inter deſiderata ponimus, expleat: quod de fatali ejus in illuſtrandis ſcientiis felicitate deſperandum non eſt. Ac nos Profectò hæc non tam Arithmeticæ augendæ, & ſi & hoc fecimus, quàm Logicæ inventivæ recludendis fontibus deſtinavimus, fungentes præconis munere, & quod in catalogo deſideratorum ſuis augmentis Scientiarum Verulamius fecit, ſatis habituri, ſi ſuſpicionem tantæ artis hominibus faciamus, quam
63 cum incredibili fructu generis humani alius producat. Quare age tandem artis complicatoriæ (ſic enim malumus, neque enim omnis complexus combinatio eſt) uti nobis conſtituenda videatur, lineamenta prima ducemus. Profundisſimus principiorum in omnibus rebus ſcrutator Th. Hobbes meritò poſuit omne opus mentis noſtræ eſſe *computationem*, ſed hac vel ſummā *addendo* vel *ſubtrahendo* differentiam colligi. Elem. de Corp. p. 1. c. 1. art. 2. Quemadmodum igitur duo ſunt Algebraiſtarum & Analyticorum primaria ſigna + & −. Ita duæ quaſi copulæ *eſt* & *non-eſt*: illic componit mens, hic dividit. In tali

tali igitur ſenſu τὸ Eſt non eſt propriè copula, ſed pars prædicati, duæ a. ſunt copulæ una nominata, *non*, altera innominata, ſed includitur in τῷ eſt, quoties ipſi non additum: non. Quod ipſum fecit, ut τὸ Eſt habitū ſit pro Copula. Poſſemus adhibere in ſubſidium vocem: *revera*, v. g. Homo *revera* eſt animal. Homo *non* eſt lapis. Sed hæc obiter. Porro ut conſtet ex qui-64
bus omnia conficiantur, ad conſtituenda hujus artis prædicamenta, & velut materiam, analyſis adhibenda eſt. Analyſis hæc eſt: Datus quicunque Terminus reſolvatur in partes formales, ſeu ponatur ejus definitio; partes autem hæ iterum in partes, ſeu terminorum definitionis definitio, usque ad partes ſimplices, ſeu terminos indefinibiles. Nam ὃ δεῖ παντὸς ὅρου ζητεῖν; & ultimi illi termini non jam amplius definitione, ſed analogia intelliguntur. 2. Inventi omnes Termini primi po- 65
nantur in una claſſe, & deſignentu notis quibusdam; commodiſſimum erit, numerari. 3. Intr r Terminos primos ponan- 66
tur non ſolùm res, ſed & modi, ſeuere ſpectus. 4. Cum omnes 67
Termini orti varient diſtantia à pri mis, prout ex pluribus Terminis primis componuntur, ſeu prout eſt exponens Complexionis, hinc tot claſſes faciendæ, quot exponentes ſunt. Et in eandem claſſem conjiciendi term ini, qui ex eodē numero primorum componuntur. 5. Termini orti per combinationem 68
ſcribi aliter non poterunt, quàm ſcribendo terminos primos, ex quibus componuntur, & quia termini primi ſignati ſunt numeris, ſcribantur duo numeri duos terminos ſignantes. 6. At 69
Termini orti per combinationem aut alias majoris etiam exponentis Complexiones, ſeu Termini qui ſunt in claſſe 3tia & ſequentibus, ſinguli toties variè ſcribi poſſunt, quot habet complexiones ſimpliciter exponens ipſorum ſpectatus non jam amplius ut exponens, ſed ut numerus rerum. Habet hoc ſuum fundamentum in Uſu IX. v. g. ſumto termini primi his numeris ſignati 3. 6. 7. 9. Sitque terminus ortus in claſſe tertia, ſeu per combinationem compoſitus, nempe ex 3bus ſimplicibus 3. 6. 9. Et ſunt in Claſſe 2da combinationes hæ: [1] 3. 6. [2] 3. 7. [3] 3. 9. [4] 6. 7. [5] 6. 9. [6] 7. 9. Ajo terminum illum datum claſſis 3tiæ ſcribi

 poſſe